

1. quia Christus est hostia nobis a Deo missa; 2. quia populus per Sacerdotes ad Deum preces suas in Sacrificio mittit; 3. quia in fine Missæ, peracto Sacrificio, populus dimittitur dicente Sacerdote vel Diacono: *Ite Missa est.* *Tourn.* l. c. a. 1. Porro vox *Missa* quidem non reperitur in s. Scriptura, sufficit tamen rem hoc nomine significatam ibi contineri, estque frequentissima hæc vox apud veteres scriptores, uti apud *S. Greg.* hom. 8. in Nativ. Dom., *S. Ambros.* L. 5. ep. 33. ad Sororem, *S. Aug.* serm. 91. de tempore etc. Graece vocatur *Liturgia*, quod de se significat mysterium seu officium publicum, specialiter Sacerdotium Christi, ut ipsemet *Petrus Mintert* acatholicus in suo Lexico graeco-latino interpretatur. Ideoque Graeci recte Missam vocant liturgiam, non tantum sumentes id pro ministerio, sed et specialiter pro Sacrificio ipso N. L. Sic ad Hebr. 9. v. 21. vasa Sacrificii graece exprimuntur τὰ σκεύη τῆς λειτουργίας Sic Luc. 1. v. 23. dies officii Zachariae, quibus Sacrificium obtulit in templo, vocantur ἡμέραι τῆς λειτουργίας αὐτοῦ. Act. 13. *Ministrantibus illis Domino*, graece legitur: λειτουργούντων δὲ αὐτῶν τῷ κυρίῳ. Prima pars Liturgiae sive Missæ, quae se extendit usque ad Offertorium exclusive, vocatur *Missa Catechumenorum*; quia olim catechumeni et poenitentes ante Offertorium foras mittebantur, remanentibus fidelibus per baptismum et poenitentiam purgatis; reliqua pars Missæ dicebatur *Missa fidelium*, qua finita Diaconus dimittebat populum, exceptis Quadragesimae diebus, et aliis feriis, maxime quando indictum erat jejunium; tum enim Sacrificium sero offerebatur, et mox Officium vespertinum persolvebatur, ad quod Diaconus astantes hortabatur dicens: *Benedicamus Domino.*

#### §. II. Principia practica de Sacrificio Missæ.

397. Princip. I. Sacerdotem, ut rite offerat, oportet in primis scire, quod Sacrificium Missæ ex fine suo, in quem offertur, sit quintuplex: 1. *Latreuticum*: qui est cultus latræ sive adorationis Dei tanquam supremi Domini perfectissimus. 2. *Eucharisticum*, sive gratiarum actorum pro omnibus beneficiis a Deo acceptis, praesertim pro beneficio Redemptionis per passionem et mortem Christi; quae gratiarum actio Deo est acceptissima, quia pro concessis beneficiis eidem offertur hostia omnium praestantissima, scilicet Christus ipse. 3. Est *Impetratorium*, quatenus varia beneficia et bona tum animæ, tum corporis a Deo impetrat iis, qui offerunt, et pro quibus offertur. 4. Est *Propitiatorium*, quia ex opere operato causat remissionem peccatorum quoad culpam, sed mediate tantum, quatenus immediate impetrat gratias ad rite poenitendum necessarias. 5. Est *Satisfactorium*, quia itidem ex opere operato et quidem immediate causat vivis et defunctis remissionem poenarum temporalium peccatis remissis debitaram per applicationem meritorum Christi. Hanc doctrinam semper Catholicam stabilivit *Trid.* sess. 22. Can. 3.: *Si quis dixerit, Missæ Sacrificium tantum esse laudis et gratiarum actionis; aut nudam commemorationem Sacrificii in cruce peracti, non autem propitiatorium; vel soli prodesse sumenti, neque pro vivis et defunctis, pro peccatis, poenis, satisfactionibus et aliis necessitatibus offerri debere, anathema sit.*

398. Princip. II. Ex dictis fructus Sacrificii, ratione causalitatis, sive ex parte rei causatae, 1. alius est *impetratorius*, quatenus vi hujus Sacrificii et offerens, et is pro quo offertur, accipit dona tum supernaturalia, tum naturalia distincta ab augmento gratiae. 2. Alius *meritorius* consistens in augmento gratiae, cujus capaces sunt ii, qui existunt in statu gratiae. 3. *Propitiatorius*, quatenus dantur auxilia ad agendam poenitentiam. 4. *Satisfactorius*, quo satisfit pro poenis temporalibus peccatorum: hic fructus

non prodest existentibus in peccato mortali, poena enim non remittitur nisi remissa culpa.

Fructus Sacrificii ratione realitatis, sive ex parte participantium iterum 1. alius est *Generalis*, qui redundat in totam Ecclesiam, et omnes Christi fideles tam vivos, quam defunctos. 2. *Specialis*, quem participat ille, pro quo ex intentione Sacerdotis Missa offertur. 3. *Specialissimus*, qui pertinet ad ipsum Sacerdotem celebrantem. Hinc Sacrificium Missæ offertur, 1. pro omnibus fidelibus Christianis vivis, sive justi sint, sive peccatores, ut his prosit ad poenitentiam, illis ad augmentum justitiae, ut constat ex Canone Missæ: *Quod tibi offerimus pro Ecclesia tua sancta Catholica . . . et omnibus orthodoxis, atque Catholicae et Apostolicae fidei cultoribus.* Et ratio est, quia omnibus potest prodesse, vel ut propitiatorium, vel ut satisfactorium, vel ut impetratorium. Excipe hic *excommunicatos non toleratos*, qui scilicet per sententiam iudicis nominatim ac publice ut tales sunt denunciati; quia illi ab Ecclesia sunt ejeti, ejusque publicis suffragiis privantur c. *A. nobis.* 28. de sentent. excomm. item c. *Sacris.* 38. ibid. Unde *Laym.* juxta communem doctrinam infert ex hac prohibitione Ecclesiae Sacerdotem peccare graviter, qui pro excommunicato non tolerato Missam offert; potest tamen Sacerdos indirecte et privatim pro tali orare in *memento vivorum*; imo eatenus publice, in quantum offert Sacrificium pro convertendis omnibus peccatoribus, quia de hoc nulla facta est prohibitio, ut ait *Suar.* hic D. 78. Sect. 2. in fine.

2. Juxta *Laym.* L. 5. t. 5. c. 2. n. 9. ex communiore DD. sententia licite offertur Missa pro infidelibus Paganis et Judæis per modum deprecationis, ut ad fidem Christianam convertantur; ut patet ex usu et praxi Ecclesiae, quae semper oravit et Sacrificium obtulit pro tranquillitate publica, pro extirpatione haeresum, et pro dilatanda et propaganda vera fide, quae dilatio fieri nequit, nisi per conversionem infidelium et haeticorum: et haec quidem directe tendunt ad bonum publicum Ecclesiae, indirecte tamen ad conversionem infidelium. *Suar.* l. c. adhuc plus concedit, quod non tantum in genere liceat offerre Missam pro infidelium conversione, sed etiam in particulari pro hac vel illa natione, aut persona; quamvis consuetudini Ecclesiae magis consentaneum censeat, nunquam expresse nominare personam infidelem, ut ab aliis audiri possit, ne scandalum ingeratur. In eadem Sect. affirmat *Suaresius*, Missam etiam posse offerri pro catechumenis fidelibus nondum baptizatis; quamvis enim hi non eum sint uniti Ecclesiae per baptismum, neque in externa facie Ecclesiae censeantur fideles, sive membra Ecclesiae, sunt tamen eidem uniti per fidem: ideoque ad Ecclesiam pertinent saltem voto sive desiderio, sicut Novitii ad Religionem. *Confirm.* ex *S. Aug.* qui epist. 109. ad Vitalem dicit, Sacerdotem stantem ad altare orare pro catechumenis, ut illis Deus inspiret desiderium regenerationis; unde patet, quod eis possit prodesse ista oblatio quoad fructum impetrationis; probabilius autem fructus satisfactionis eis non potest applicari, quamvis pro iis liceat offerre alia suffragia per jejunia, preces, eleemosynas etc. Quod aliquando catechumenis defunctis denegata fuerint suffragia publica, juxta *Henriquez* intelligendum est de iis, qui culpa sua baptismum suscipere neglexerant.

3. Sacrificium Missæ recte et salubriter offertur pro animabus in purgatorio existentibus ad mitigationem, vel plenam poenarum solutionem, non tantum per modum impetrationis, sed etiam ex opere operato obtinendam. *Ratio* est: quia sunt vera et viva membra Ecclesiae: ergo etiam capacia fructus Sacrificii satisfactorii. Vide *Tridentinum* cit. supra n. 397. Idem in eadem sess. 22. c. 2. ita docet: *Quare non solum pro fidelium*

*vivorum peccatis, poenis, satisfactionibus et aliis necessitatibus, sed et pro defunctis in Christo nondum in plenum purgatis rite juxta Apostolorum traditionem Missa offertur. S. Aug. L. 9. Confess. testatur, oblatum esse pro matre sua Monica, ut enixe rogaverat, Sacrificium pretii nostri. De hac perpetua praxi Ecclesiae idem S. Aug. L. de cura pro mortuis C. 1. n. 3. ait: In Machabæorum libris legimus, oblatum pro mortuis Sacrificium: sed et si nusquam in Scripturis veteribus omnino legeretur, non parva est Ecclesiae, quae in hac consuetudine claret, auctoritas, ubi in precibus Sacerdotis, quae Domino Deo ad ejus altare funduntur, locum suum habet etiam commendatio mortuorum. Dixi, pro animabus in purgatorio existentibus: reprobis enim ad aeterna supplicia jamjam damnatis nihil prodesse, adeoque nec pro iis offerri potest Missae Sacrificium. Denique in quantum Missa pertineat ad defunctos, qui jam aeterna beatitudine perfruuntur, clare docet Trid. sess. 22. c. 3.: Et quamvis in honorem et memoriam Sanctorum nonnullas interdum Missas Ecclesia celebrare consueverit, non tamen illis Sacrificium offerri decet, sed Deo soli, qui illos coronavit; unde nec Sacerdos dicere solet: Offero tibi Sacrificium Petre, vel Paule: sed Deo de illorum victoriis gratias agens eorum patrocinia implorat, ut ipsi pro nobis intercedere dignentur in coelis, quorum memoriam facimus in terris. Ib. Canon quintus ita habet: Si quis dixerit, imposturam esse Missas celebrare in honorem Sanctorum, et pro illorum intercessione apud Deum obtinenda, sicut Ecclesia intendit, anathema sit. Si quaeras, quomodo Missa possit offerri pro Sanctis? R. Potest offerri ut est Sacrificium Eucharisticum, sive in gratiarum actionem pro collatis gratiis in hac vita, et pro collata illis gloria in coelo, imo etiam, ut est Impetratorium alicujus gloriae accidentalitatis; ideo Ecclesia jubet orare in Sacro: ut illis prosit ad honorem.*

Ex hoc principio pro praxi observet Sacerdos, quod ad hoc ut effectus Sacrificii specialiter obtineatur, debeat fructum, qui ex opere operato respondet Sacrificio, quatenus offertur in persona Christi, applicare vel sibi, vel alteri capaci per intentionem saltem ante, vel in ipsa consecratione, ut ait *Laym. l. c. n. 12.*, alias si vel nulli, vel incapaci, vel non indigenti applicetur, fructus Sacrificii remanet in thesauro Ecclesiae juxta communioem, vel juxta alios cedit in tali casu ipsi celebranti, et iis pro quibus saepius solet offerre: quia hanc intentionem quilibet tunc habere censetur. *Ratio primi* est: quia, cum hoc Sacrificium primario institutum sit pro bono communi et secundum se sit indifferens, debet ad hoc, ut specialiter uni prae altero prosit, determinari ab ipso sacrificante; potestas enim applicandi fundatur in potestate sacrificandi, cum Sacerdos ex vi ordinationis suae constituatur minister ac dispensator donorum Dei. *Ratio secundi* est: quia Sacerdos dispensat fructum Sacrificii ex opere operato, quatenus sustinet personam Christi, quod accidit in consecratione; ergo tunc debet habere intentionem applicandi vel actualem, vel virtualem, vel habituaalem, quae sufficit praecise pro applicatione ex dictis n. 53. *Confirm.* ex eo, quod non sit in nostra potestate ministri effectum velle suspendere, et postea alicui applicare.

399. *Princip. III.* Licitum est Sacerdoti, accipere pecuniam vel honorarium pro celebratione Missae, non quidem ut pretium Sacrificii, quia hoc est quid mere spirituale; sed ut justum stipendium ad sui sustentationem. Constat ex recepto usu Ecclesiae, quae sicut in fide, ita et in doctrina morum, ad quam pertinet hic usus, est infallibilis. Aequitas patet ex Scriptura: *Dignus enim est operarius mercede sua, Luc. 10. v. 7. Et 1. Cor. 9. v. 13.: Nescitis, quoniam qui in sacrario operantur, quae de sacrario sunt, edunt, et qui altari deserviunt, cum altari participant. Dixi, justum*

*stipendium:* quamvis enim accipere liceat, quantum liberaliter offertur; non tamen licet exigere, nisi quod justum est; illud autem censetur justum, quod vel Episcopi lege, vel loci consuetudine ex piorum ac prudentum virorum judicio determinatum ac taxatum est. Hic locorum passim datur capitellum. Varias inhibitiones contra injusta stipendia vide in resol. cas. §. seq.

400. *Princip. IV.* Praeter ea, quae ad valide et licite sacrificandum requiruntur in Sacerdote, de quibus egimus n. 266., praesertim praeter jejunium naturale et statum gratiae, sequentia de tempore, loco, aliisque ad Missam requisitis accurate observanda sunt. *De tempore celebrandi:* Primo, tenetur Sacerdos saltem aliquoties per annum celebrare; hinc in c. *dolentes. 9.* de celebratione Missarum, inter peccata Sacerdotum *Innoc. III.* recenset, quod vix quater in anno Missam celebrent, addens: *Haec igitur et similia sub poena suspensionis penitus inhibemus.* Trid. sess. 23. C. 14. de Reform. ita statuit: *Curet Episcopus, ut ii (scil. Sacerdotes) saltem diebus dominicis et festis solemnibus, si autem curam habuerint animarum, tam frequenter, ut suo muneri satisfaciant, Missas celebrent.* Ideo Sacerdos Curatus tenetur vel per se, vel per alium celebrare illis diebus, quibus sui Parochiani ex praecepto Ecclesiae tenentur Missam audire: ut patet ex verbis *Trid.* cit. et ex ipsa ratione susceptae curae; alias enim populus non posset implere praeceptum audiendi Missam. Ita *Reiffenst.* in Theol. mor. T. 14. de Sacram. Dist. 5. q. 8. n. 83. cum Communi.

401. *Secundo.* Juxta *Missale Rom.* de defect. in ministerio ipso occurrentibus, et Constitutionem *Pii V.* quae incipit: *Sanctissimus*, tempus debitum celebrandi est ab aurora usque ad meridiem de jure communi; adeoque ordinarie non licet celebrare ante auroram, per quam intelligitur crepusculum, quod censetur incipere sesqui hora, antequam sol supra horizontem appareat; nec ordinarie licet inchoare Missam post meridiem, per quem communiter intelligitur hora diei duodecima, saltem in nostris regionibus. Dixi, *de jure communi:* nam licitum est 1. in Nocte Nativitatis Christi celebrare Missam. Specialiter autem prohibitum est a *Congreg. Rit.* anno 1702. 8. Decemb. tres legere: verba prohibitionis sic habent: *Non licet in media nocte Nativitatis Domini celebrare successive alias duas, et in eis communionem sacram exhibere.* 2. Licet ante auroram, vel post meridiem celebrare cum licentia Episcopi. 3. Ex privilegio stabili a Papa concessio, quale concessit *Paulus III.* in Bulla: *Cum inter*, et *Greg. XIII.* in Bulla: *Quanta in vinea Domini*, Presbyteris Societatis Jesu, ut Missas hora ante auroram, et infra horam post meridiem itineris, vel alterius legitimi impedimenti causa, de Praepositi Generalis, vel cujusvis alterius ab eo deputati licentia, celebrare valeant. 4. Ex consuetudine, vi cujus in multis locis mane hora quarta etiam tempore hyemali licite celebratur Missa pro operariis, itinerantibus, et aliis; hinc etiam satisfacit praecepto, qui die festo tali Sacro interest. Pariter saltem una hora post meridiem, propter publicam concionem ultra horam duodecimam productam, licet Missam privatam inchoare: item propter adventum Principis, qui Missam a Sacerdote jejuno desiderat; similiter propter funus principis; item si Sacerdos die festo ratione itineris impeditus fuerit: quinimo, ut ait *Laym. l. c. C. 4. n. 4.* ex quacumque justa causa poterit Missa uno vel altero quadrante ante auroram, vel post duodecimam inchoari; quia determinatio temporis hic non mathematicè, sed moraliter accipienda est: qualis causa jejuno adhuc Sacerdoti praecipue est, si dandum sit Viaticum moribundo, nec adsit hostia consecrata.

402. *Tertio.* Per se loquendo, et seclusa speciali prohibitione Ecclesiae

licitum est Sacerdoti quotidie semel celebrare, modo moralem diligentiam adhibeat, ut quotidie digne ad altare accedat. *Probat*ur ex consuetudine Ecclesiae, quam in antiquissimis Patribus legimus. *S. Greg. M.* homil. 37. in Evang. de s. Cassio Episc. Narniensi ita memorat: *Cui mos erat, quotidianas Deo hostias offerre, ita ut pene nullus dies vitae ejus abscederet, quo non omnipotenti Deo hostiam placationis offerret.* Plura refert *Suar.* hic D. 80. sect. 2. Dixi 1. *per se loquendo*: nisi scilicet obstat indignitas Sacerdotis certo cognita. Dixi 2. *seclusa prohibitione.* Sic prohibitum est Missam legere feria sexta hebdomadis sanctae, quod ex antiquissima traditione testatur *Innoc. I.* ep. 1. ad Decentium C. 4. et refertur in c. *Sabbato.* Dist. 3. de Consecr. Haec prohibitio se quidem non extendit ad feriam quintam ejusdem hebdomadis; ubi tamen pia consuetudo viget, ut Sacerdotes e manu sui Superioris in solemnibus Missis s. Eucharistiam sumant, ibi insistendum est huic consuetudini, ita ut sine Superioris licentia privatam Missam celebrari non oporteat; innititur haec sollemnis devotio exemplo Apostolorum, qui in ultima coena s. Eucharistiam de manu Domini sumpserunt. Similiter in Sabbato Sancto praeter Missam solemnem aliae Missae in eadem Ecclesia celebrandae non sunt; quia id fieret contra receptam Ecclesiae consuetudinem. Dixi 3. *quotidie semel*: ut clare innuit *Innoc. III.* relatus in c. *consulvisti.* 3. de Celebrat. Missae: *Respondemus, quod excepto die Nativitatis Dominicae, et nisi causa necessitatis suadeat, sufficit Sacerdoti semel in die unam Missam solummodo celebrare.* Quod autem *id sufficit* vim praecepti obtineat, satis confirmatur a consuetudine Ecclesiae. Rationem hujus praecepti duplicem assignat *S. Th. Q.* 83. a. 2. ad 5., *tum quia Christus semel passus est, et redemit mundum; tum quia spectata fragilitate humana vix homo ad unum Sacrificium se digne praeparare potest, et ideo felix est, qui unam Missam digne celebrare potest, ut habetur in c. sufficit* de Consecrat. Dist. 1.

403. *Princip. V. De loco sacrificii.* Jure communi et ordinario non licet sub gravi peccato Missam celebrare, nisi in loco ab Episcopo consecrato, vel saltem ab ipso, aut de ejus licentia a Presbytero benedicto et non violato, nec execrato, nec interdicto. *Primum* constat ex c. 15. de Consecrat. Dist. 1.: *Nullus Presbyter Missas celebrare praesumat, nisi in sacratis ab Episcopo locis.* Ab hac regula communi exceptiones quaedam communiter hodie receptae sunt: 1. quidem celebrare licet in castris pro exercitu: 2. in littore maris, item in navi pro navigantibus, modo absit periculum irreverentiae ex vehementia ventorum, tempestate aut jactatione navis: 3. in privato oratorio ad id specialiter destinato, et cum licentia Ordinarii ad id deputato. Celebrari autem debet Missa super altare lapideum, et ab Episcopo consecratum; si vero consecratum non sit, debet inseri arula lapidea, vulgo *altare portatile* lapideum, et ab Episcopo consecratum, idque tam amplum, ut hostiam et majorem partem calicis capiat. Altare debet esse opertum tribus mappis sive tobaleis mundis ab Episcopo, vel alio habente potestatem benedictis, superiore saltem oblonga, quae usque ad terram pertingat, duabus aliis brevioribus; vel una duplicata, quibus recte supponitur linteum ceratum. Super altare collocanda est crux in medio (et quidem non tantum nuda, sed cum imagine crucifixi, etiam quando est expositum Ss. Sacramentum), ad utrumque latus candelabra saltem duo cum candelis accensis. Vide Constitut. Bened. XIV. editam anno 1746. 16. Julii, quae incipit: *Accepimus.* Tom. II. ejusd. Bull. p. 123.

404. *Princip. VI.* Praeterea absolute requiritur calix cum patena vel ex auro, vel argento; vel si paupertas non permittat, ex stanno quoad cuppam, ab Episcopo consecratus.

De hisce vasis sacris olim *Bonifacius* Martyr et Episcopus interrogatus, si liceret in vasculis ligneis Sacramenta conficere, respondit: *Quondam Sacerdotes aurei ligneis calicibus utebantur, nunc e contrario lignei Sacerdotes aureis utuntur calicibus.* Vide c. *vasa* 44. Dist. 1. de Consecrat., et sequenti c. 45. statuitur: *Ut calix Domini cum patena, si non ex auro, omnino ex argento fiat. Siquis autem tam pauper est, saltem vel stanneum adhibeat. De aere aut aurichalco non fiat calix, quia ob vini virtutem aeruginem parit, quae vomitum provocat. Nullus autem in ligneo aut vitreo calice praesumat Missam cantare.* Ratio hujus redditur in fine c. *vasa* mox cit.: *Ne decus matris Ecclesiae imminuatur, sed magis cumuletur et amplificetur.* Missale de ritu servando in Celebrat. Missae n. 1. de calice ita habet: *Qui debet esse vel aureus, vel argenteus, aut saltem habere cuppam argenteam intus inauratam, et simul cum patena itidem inaurata, ab Episcopo consecratus.* Idem de defectibus in ipso ministerio occurrentibus §. 10. n. 1. de calice innuit: *Cujus cuppa debet esse aurea, vel argentea, vel stannea: non aerea vel vitrea, nec ex ligno, lapide, ferro etc.* Juxta *Fagundez* de primo praecepto Eccles. L. 3. C. 21. n. 10. cogente magna paupertate licet adhibere calicem ex aere, vel aurichalco, aut metallo, ita tamen ut cuppa sit inaurata; quia sic evitatur periculum contrahendae aeruginis. Porro calix constat tribus partibus, scilicet *cuppa, nodo et pede.* Super cuppam sive os calicis ponitur purificatorium mundum, et super illud *patena* cum *hostia* integra, quae leviter debet extergia fragmentis, quando opus est; haec tegitur parva *palla* lineae, tum *velo* serico, cui imponitur *bursa* coloris paramentorum, intus habens *corporale* complicatum, quod ex lino tantum esse debet, nec serico, vel auro in medio intextum, sed totum album, et ab Episcopo, vel alio habente facultatem, simul cum *palla* benedictum. Ita *Missale* l. c. Defectus *pallae* suppleri potest per *corporale* aliud, aut si eodem retro calicem extenso in tali necessitate possit tegi calix: purificatorium probabiliter non debet necessario esse benedictum, praesertim cum specialis de eo benedictio non existat in Ritualibus. *Suarez* contra *Laym.* Nec velum, quo vestitur calix, nec *bursa*, in qua reconditur *corporale*, solent benedici. Purificatorium, *palla* lineae, et *corporale*, antequam tradantur laicis ad accuratorem lotionem, lavari prius debent a Sacerdote aut Diacono. Vide plura apud *P. Gobat.*

405. Vestes Sacerdotales triplicem habent significationem; *tropologicam* sive moralem, quae refertur ad formationem morum et vitae: *allegoricam*, quae exprimit aliquid sacrum mysterium: et *anagogicam*, quae refertur ad ea, quae sunt aeternae felicitatis. Ita *Sennyey* in examine Ordin. p. 4. C. 1. n. 48. Prima vestis est *Amictus* sive humerale; in vetustis libris liturgicis vocatur *Anaboladium.* De hoc *Amalarius* L. 2. de Eccles. Officiis c. 18. ait: *Amictus est primum vestimentum nostrum, quo collum undique cingimus.* De iis qui amictum sericis, aureisque fimbriis ornant, ait *Cardin. Bona* Rer. Liturg. L. 1. C. 24. n. 3., recentem hanc esse consuetudinem et sacrae antiquitati prorsus incognitam. Tropologice *Amictus* significat fiduciam in Deum, qua Sacerdos debet accedere ad hoc Sacrificium, quae spes est galea salutis; id quod exprimitur in oratione, quam Sacerdos recitat humerale induendo: *Impone, Domine, capiti meo galeam salutis, ad expugnandos diabolicos incursus.* Allegorice denotat linteum, quo facies Christi velata fuit: anagogice latibulum capitis, h. e. Divinitatis in Christo.

Secunda vestis est *Alba* (alias etiam appellatur *Camisia*, *Camisius*, *Camisile*, apud Graecos *Poderis* a *Podas*, quia est vestis demissa ad pedes); de hac in Ordine Romano fit mentio his verbis: *lineam dalmaticam, quam dicimus Albam.* Hujus etiam mentio fit in Synodo Carthaginensi sub finem

saeculi IV. habita. Haec vestis 1. debet esse linea, non lanea: 2. albi coloris, unde et nomen trahit. Tropologice significat colore suo munditiam mentis et corporis cum splendore virtutum: longitudine vero significat boni operis perseverantiam; anagogice vestem candidam, qua Christus indutus fuit illusus; allegorice Resurrectionis gloriam, et novitatem ac puritatem vitae in Christo. Significationi congruit oratio Sacerdotis: *Dealba me, Domine, et munda cor meum, ut in Sanguine Agni dealbatus gaudiis perfruar sempiternis.*

Tertia est *Cingulum*: de hoc *S. Hier.* Ep. 128. ad Fabiolam scribit: *Tertium genus est vestimenti, quod illi appellant Abner, nos Cingulum, vel Baltheum, vel Zonam possumus dicere.* Tropologice significat continentiam et castitatem, convenienter orationi Sacerdotis: *Praecinge me, Domine, cingulo puritatis, et extingue in lumbis meis humorem libidinis, ut maneat in me virtus continentiae et castitatis*; allegorice funes, quos Christi manus ligatae sunt; anagogice, charitatem Christi, cujus extremitates duae sunt, *fecit et docuit.*

Quarta vestis est *Manipulus* (ex etymologia, *ornamentum manus*); substitutus est (juxta *Card.* *Bona* saeculo decimo, juxta *Meratum* vero longe antea) loco mappulae vel sudarioli, quod primis saeculis Sacerdotes ad sinistrum brachium habebant tergendis sudori, et devotis lacrymis; unde eo tempore manipulus instrumentum erat ipsa necessitate introductum: postea inter vestimenta sacra locum obtinuit, ut ait *Benedictus XIV.* in *Comment. de Sacrif. Missae.* Tropologice denotat compunctionem cordis, quia quasi sudarium gestatur ad abstergendas lacrymas, ut colligitur ex oratione: *Merear, Domine, portare manipulum fletus et doloris, ut cum exultatione recipiam mercedem laboris*; allegorice significat funem, quo Christus captus est; anagogice in laeva beatitudinem Christi, ut viator et comprehensor erat.

Quinta vestis est *Stola*: de hac *Rabanus Maurus* L. 1. C. 19. ait: *Quantum est, quod Orarium dicitur, licet hoc quidam Stolam vocent.* Tropologice significat obedientiae Christianae jugum suave per patientiam et animi fortitudinem; allegorice ligaturam ad columnam; anagogice stolam gloriae, quam Christus per obedientiam suam nobis reddidit; unde Sacerdos eam induens dicit: *Redde mihi, Domine, stolam immortalitatis, quam perdidisti in praevaricatione primi parentis, et quamvis indignus accedo ad tuum sacrum mysterium, merear tamen gaudium sempiternum.* Est etiam stola signum jurisdictionis et oneris, quo premuntur humeri pastoris; Sacerdotibus enim ex utroque humero, Diaconis ex sinistro dependet.

Sexta denique est *Casula*, sive *Planeta* graece, quae totum Sacerdotis corpus tegit, quasi minor casa, ut ait *Isidorus* L. 19. C. 24.; olim enim casula Sacerdotem a collo usque ad pedes tegebat, et brachia involvebat. Tropologice *Casula* ex omni parte rotunda et aperta denotat charitatem, quae supereminet omnibus virtutibus; allegorice vestem purpuream, qua Christus indutus fuit in domo Pilati; anagogice promissam gratiam et gloriam aeternam iis, qui portant suave jugum Christi, ut indicat oratio Sacerdotis: *Domine, qui dixisti, jugum meum suave est, et onus meum leve, fac ut istud portare sic valeam, quod consequar tuam gratiam.* Juxta alios indicat vestem mysticam Christi, sive Ecclesiam universalem, ita ut pars posterior denotet Ecclesiam veteris, anterior vero novi testamenti. Plura vide apud *Innoc. III.* L. 1. de hoc myster. *Suar.* hic. D. 82. S. 2. *Ratio*, cur in hoc Sacrificio tot caeremoniae, vestes, aliaque id genus multa adhibeantur, juxta *Trid.* sess. 22. C. 5., deducitur ex *Apostolica disciplina, et traditione, quo et majestas tanti Sacrificii commendaretur, et mentes fide-*

*lium per haec visibilia religionis et pietatis signa, ad rerum altissimarum, quae in hoc Sacrificio latent, contemplationem excitarentur.* Hinc *ibid.* Can. 7. ita statuit: *Si quis dixerit, caeremonias, vestes, et externa signa, quibus in Missarum celebratione Ecclesia Catholica utitur, irritabula impietatis esse magis, quam officia pietatis, anathema sit.* Accedit, quod, sicut maxime conveniens est, ut Reges, Magistratus in publicis actionibus non vulgari, sed augustiore utantur vestitu, ita deceat, ut in hac sanctissima actione Sacerdos peculiari et augustiore habitu incedat, tum ob reverentiam mysterii, tum ob passionem Christi apte repraesentandam, tum ad sui ipsius commonitionem.

406. Denique oportet has vestes esse integras, mundas, et benedictas ab Episcopo, vel ab alio Sacerdote habente privilegium, quali gaudent Abbates, teste *Bonacina*, item Ordinum Mendicantium Superiores, ut ait *Busemb.* cum *Tamburino*: eodem gaudent Rectores Collegiorum, et Praepositi Domorum S. J., ita ut possint benedicere corporalia, vestimenta, caeteraque ornamenta Ecclesiae suae. Vide *Compend. Privil. S. J. V. benedicere* §. 3. Dixi, *Ecclesiae suae*; pertinentia enim ad externorum usum, sive ad Ecclesiam non suam; probabilius non possunt benedicere, nisi necessitas urgeat, et Praelati distent, et sine illorum offensione. Vide etiam *Bullam Pauli III.* quae incipit: *Licet debitum.* Dixi etiam, *oportet has vestes esse integras et mundas*; quod idem dicendum de calice, patena, corporali, et purificatorio; hinc juxta plures, ut ait *Laym.* L. 5. T. 5. C. 6. n. 15., peccat graviter, qui in vestibus, aut vasis valde immundis celebrat.

407. *Princip. VII.* Denique celebrans debet servare rubricas, et quidem sub gravi peccato illas, quae sunt *praeceptivae* circa quid notabile, quod vel concernit valorem vel integritatem Sacrificii v. g. circa panem triticeum, mixtionem aquae etc. Oportet etiam observari eas, quae tantum sunt *directivae*, quamvis non obligent sub gravi peccato, si absit contemptus. Praeterea in Missa adhibendus est sub gravi obligatione minister saltem unus, qui nomine totius populi respondeat celebranti, aquam et vinum porrigat etc. et hic debet esse mas, non foemina, ut constat ex c. *inhibendum* 1. de cohabitatio. Cleric. et mul. Ex *Conc. Mogunt. Suar., Sylv., Palud., Sotus* et alii, satius esse arbitrantur, in gravi necessitate celebrare sine ministro, quam cum foemina. Addit tamen *Laym.* l. c. n. 13., non obstare, quominus foeminae praesertim Moniales ex loco remoto sacrificanti respondeant tantum. Praeterea juxta *Bonac.* D. 4. q. ult. a. 9. n. 29., *Pitigianum, Grafium* et alios requiritur *Missale*, ita ut celebrans sine libro, qui nequidem contineat Canonem, *per se* loquendo, peccet graviter; quia se exponit periculo errandi graviter. Dixi, *per se*, juxta *Ledesma* enim, *Laym.* et alios contra *Tann.*, licitum est ei in gravi necessitate celebrare sine libro, qui moraliter certus est, se non erraturum. Idem concedit *La Croix* l. c. n. 364. de Sacerdote, qui visu caret ad legendum, si possit tamen adhuc videre hostiam et calicem, nec sit periculum amittendi particulas, aut irreverenter tractandi Sacramentum. Juxta *Tamb. et Gobat* hic. n. 304. satis est in necessitate, si Sacerdos aliquam missam in charta descriptam ante se habeat. Denique Sacerdos saepe legat rubricas generales Missalis, ritus servandos, et quae praescribuntur ibidem de defectibus in celebratione Missae occurrentibus: praesertim autem decretum *Tridentini* de observandis et evitandis in celebr. Miss. sess. 22.